

Adrian Wolfhard¹⁾ an Vadian.

Weissenburg. 1518. August 13.

Vorwürfe wegen langen Stillschweigens. Bericht über gemeinsame Bekannte und über seine literarische Tätigkeit.

Salutem. Non putaram, Vadiane suavissime, futurum aliquando, ut expostulandi tecum ulla obreperet occasio; tam enim omnes amicitie^{a)} numeri coniecti erant, tanta amoris coniunctio intervenerat, ut clavam ærumnosi Herculis manibus tollere facilius, quam amorem conlabi nostrum et sensim evanescere fide obstrinxissem. Dic, rogo, et quot literis provocatus, quot lacessitus expostulationibus, quam crebris nostrę patrię rumoribus succensus es? Iam plane Harpocratem et silentiosi sapientis præcepta sectantem dixissem, ni Taurinus noster reclamasset, te Musis et severioribus subinde literis vacare; at poteris sesquiminutum studiis subducere ac tui amantissimum Adrianum vel Laconica epistola solari, semianimem refocillare, vel quid rerum agat saltem, ut iocetur cum Taurino, quid novi Africa parturiat, inquirere. Rarus præterlabitur dies, quin tui simus memores, te tanquam præsentem exosculemur; tecum loquimur, tecum potamus, tua carmina cantamus, nostra item proferimus, sed iugulanda verubus, tibi nunc patrię nostrę fortunam secundam precamur, successus^{b)} precibus exoptamus; tecum in universum vivitur. Noster etiam Lucas Byrtalmenus (?) tuas in horas literas operitur, causatur tempora longa, nec se suum putat. Tam est tuę absentię im-

patiens, si quantuluscunque de te sermo inter loquendum fit. Ego ipse (dii sciunt), pertæsus^{c)} tam longam in patria vitam, Italiam versus pedem moveram et iam a patria longe aberam, quum nuntius rei insperatę ab itinere revocavit. Devovi causas^{d)} dehortantes a deliciis, quibus animum apud te ac tui similes probe explessem; stat sententia, bruma futura, si numina læva^{e)} sinent, semotis omnibus rebus eo ire. Placuit diis immortalibus, me Ioannis Pannonii compluria ingenii monimenta et suo Marte nata et e Græco versa in Latinum sermonem invenire: Plutarchi De Utilitatibus Inimicitiarum^{f)} libellum, item eiusdem De Negotiositate alterum, Homeri quasdam fabulas, elegeias elegantissimas necdum Viennę impressas plures, epigrammatum libros duos, — alii desiderantur^{g)} — quibus sic Martialem secutus est, ut nec lac lacti similis sit, de Marcellis quoque panegyricum, poëma adeo varium, adeo multiplex, adeo eruditum, ut circulum, quem quærimus^{h)}, doctrinarum facile sit deprehendere. Rogo pro tua in me perspecta benevolentia, mea in te observantia singulari: aliquid ad me literarum scribito de literis, valetudine, fortuna. Possum tuis fortunis prosperis mœroribusⁱ⁾ multis levare. Quę nostrę patrię sunt, tibi erunt ad manum, dum intelligam. Patronum meum, dominum Collimitium, iubeo salvere, cui me commenda. Albę Iulię, Idibus Augusti, anno MDXVIII.

Tuus *Adrianus Transsylvanus*),
canonicus *Albensis* etc.

Eminentissimo Ioachimo Vadiano, poetę laureato, artium ac saluberrimę medicę professori^{k)} Viennę Pannonię, domino observandissimo.
Ex Transsylvania.

a) „amiticę“ — b) „successus“ — c) „pertesus“ — d) „caussas“ — e) „lęva“ — f) „inimicitiarum“ — g) „desyderantur“ — h) „querimus“ — i) „meroribus“ — k) „professori“.

l) Vrgl. I, Brief 19.